



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Salomonis. Ode Dicolos Distrophos. XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

36 HUMANAE SALVTIS

Idem efficacis munere barbyti
Victura dixit carmina, quæ Draco
Antiquus audire obstupescat,
Quæque probet Deus & secundet.

DIVINAE VERITATIS AR-
GUMENTVM.

Otia honesta Deo, cuncta atque negotia summo
Quæ dicat, hæc multis vita beata modis.

REGI FORTISS. INTEGERR. PIEN-
TISS. VATI DVLCISS. POS.

In tabulam Salomonis.

Ode Dicolos Distrophos. XXV.

QVotquot prisca tulit, quotquot sperare futura
Restores concesserit ætas,
Diuitiisque, opibusque animi, sensuque profundo,
Tu Salomon præcesseris vnus.
Seu populis dare iura iuuet, seu ponere docta
Virtutis præcepta petendæ;
Seu cupias animo immensum penetrare per orbem,
Ingenio & numerare diserto
Naturæ variata modis spectacula miris,
Quæcumque aut radiantia cælum
Astra mouet, vel quæ duplici spatiantur in vnda
Plurima monstra, vel omniparens quæ
Multiplici profert vtero, atque alit vberè Tellus,
Cuncta tibi cessere petenti.
Obstupuit, peregrina tuas conspexit vt artes
Gens acris non indiga sensu.
Victa tuis siluere etiam miracula templis
Quæ quondam celebrata sonabant.
Quæ patet oceanus, gentes tua carmina discunt,
Et recinunt iuuenesque, senesque,
Æternique Dei nomen laudisque perennes,
Sperandæ & monumenta salutis,
Cetera & arcanis quæ te meditante figuris
Excelsa Sion audiit arce.
O Rex, ô felix; nullumque habiture priorem,
Vna tibi & proba si foret vxor.
Vltima nempe fuit vox te dignissima, vanum
Esse, Dei timor vnde recessit.

HVMA.

HYMANAE SORTIS MEN-
SVRA GEMINA.

Mortales homines & re & sermone iuuare,
Perpetuum magni est principis officium.

PRINCIPI SAPIENTISS. PACE
REIP. CONSTITVTA POS.

In tabulam Isaiaë Prophetaë.

Ode Dicolos Tetraastrophos. XXVI.

REgum progenies Isacidum, breui
Te magnum experiar dicere carmine,
An laudes tacitus dissimulet pudor
Tantis pro meritis leues?
Quem iam præmonitum grandia dicere
Purgauit rutilus spiritus ignibus,
Laturum populo & principibus Dei
Dista, & terribiles minas.
Prudens præteriti temporis, ac tui
Venturique modos, & seriem canis,
Spectator veluti videris omnia
Depicta in superum domo.
Quis vatum proprior cernere ab vltima,
Quicquid magnus habet mundus, origine,
Mores, historias, imperia urbium,
Cuncta & sæcula gentium?
Humano generi munera cælitus
Demittenda animis, tu bene nuntias:
Et mæstis releuas corda laboribus,
Et mentes recreas graueis.
Quæ vis eloquij, quæ ingenij queat
Exquare modos, & decus ac tui
Dicendo rapidum fluminis impetum,
Sensu & multiplices notas?
Vix certa tuo tempora nuntio
Rex prolata videt, ductaque longius,
Cum Sol pollicitis additur arbiter
Decursum relegens diem.